

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Legenda aurea sanctorum, sive Lombardica historia**

**Jacobus <Genua, Erzbischof>**

**[Lyon], 20. Juli 1486**

Prologus

[urn:nbn:de:bsz:31-289352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-289352)

## Prologus

**I**ncipit prologus super legendas sanctorum quas collegit in unum frater Jacobus de voragine natione ianuenensis ordinis fratrum predicatorum.

**U**niversum tempus presentis vite in quatuor distinguitur. scilicet in tempus deviationis. renovationis. siue reuocationis. reconciliationis. et peregrinationis. Tempus deviationis fuit ab adam postquam scilicet a deo deuiavit et durauit usque ad moysen. Et istud tempus representat ecclesia a septuagesima usque ad pascha. Unde et tunc legitur liber genesis. scilicet in quo ponitur deuiatio primorum parentum. Tempus renovationis siue reuocationis incipit a moysen et durauit usque ad natiuitatem christi. In quibus omnes per prophetas ad fidem reuocati sunt et renouati. Et istud tempus representat ecclesia ab aduentu domini usque ad natiuitatem christi. Unde tunc legitur ysayas. ubi de hac reuocatione aperte agitur. Tempus reconciliationis est tempus in quo per christum sumus reconciliati. Et istud tempus representat ecclesia a pascha usque ad penthecosten. Unde et tunc legitur apocalypsis ubi plene agitur de misterio reconciliationis. Tempus peregrinationis est tempus presentis vite in quo peregrinamur et in pugna semper sumus. Et illud tempus representat ecclesia ab octaua penthecostes usque ad aduentum domini. Unde tunc leguntur libri regum et machabeorum. in quibus de multiplici pugna agitur per quam nostra pugna spiritualis. signatur. Tempus autem illud quod est a natali domini usque ad septuagesimam partim continetur sub tempore reconciliationis quod est tempus leticie. scilicet a natali usque ad octauam epiphanie. partim sub tempore peregrinationis scilicet ab octaua epiphanie usque ad septuagesimam. Et potest accipi hec quadruplex temporum variatio. Primo penes quatuor temporum distinctiones ut habes referat ad primum uer ad secundum estas ad tertium autumnus ad quartum. Et ratio appropriationis satis patet. Secundo penes quatuor partes diei sicut nox referat ad primum mane ad secundum meridies ad tertium uespera ad quartum. Licet autem prius fuerit deuiatio quam reuocatio tamen ecclesia omnia officia sua potius incipit in tempore renovationis quam deviationis. id est in aduentu potius quam in septuagesima. et hoc duplici ratione. Primo ne videatur incipere ab errore tenet enim rem et non sequitur ordinem temporis. sicut et euangeliste septem faciunt. Secundo quoniam per aduentum christi

omnia renouata sunt propter quod tempus istud dicitur tempus renovationis. Apoc. xxi. Ecce ego noua facio omnia. Congruet igitur in hoc tempore renovationis ecclesia omnia officia sua renouat. At igitur ordo temporis ab ecclesia distinctus seruetur. primo agemus de festiuitatibus que occurrunt infra tempus renovationis. quod tempus representat ecclesia ab aduentu usque ad natiuitatem domini. Secundo de illis que occurrunt infra tempus quod partim continetur sub tempore reconciliationis. partim sub tempore peregrinationis quod tempus representat ecclesia a natiuitate usque ad septuagesimam. Tercio de illis que occurrunt infra tempus deviationis. quod tempus representat ecclesia a septuagesima usque ad pascha. Quarto de illis que occurrunt infra tempus reconciliationis quod tempus representat ecclesia a pascha usque ad octauam penthecostes. Quinto de illis que occurrunt infra tempus peregrinationis quod tempus representat ecclesia ab octaua penthecostes usque ad aduentum domini.

**E**xPLICIT prologus. Incipiunt capitula. De festiuitatibus que occurrunt infra tempus renovationis.

De aduentu domini. **L**egenda prima.  
De sancto andrea apostolo. **L**egenda secunda.  
De sancto nicola. **L**egenda tertia.  
De sancta luca uirgine **iiii**  
De sancto thoma apostolo. **v**

**D**e festiuitatibus que occurrunt infra tempus quod partim continetur sub tempore reconciliationis et partim sub tempore peregrinationis.

De natiuitate domini. **vi**  
De sancta anastasia. **vii**  
De sancto stephano. **viii**  
De sancto iohanne apostolo et euangelista. **ix**  
De innocentibus. **x**  
De sancto thoma cantuariensi archiepiscopo. **xi**  
De sancto siluestro. **xii**  
De circumcisione domini. **xiii**  
De epiphania domini. **xiiii**  
De sancto paulo heremita. **xv**  
De sancto remigio. **xvi**  
De sancto hilario. **xvii**  
De sancto machario. **xviii**  
De sancto felice in pincis. **xix**  
De sancto marcello. **xx**

a ij